



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

3 Vtrum ratio seu conceptum entis in re ipsa & ante intellectum, sit aliquo modo præcisus ab inferioribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

terioribus, tamē vt est præcisus, formaliter loquendo, non est in inferioribus, id est, non habet in illis eum statum, seu modū essendi, quem habet per denominationem extrinsecam ex præcisione intellectus. Quando autem dicitur hic conceptus, etiam vt præcisus, comparari ad inferiora, eisq; attribui, non est sensus, quod secundum eam præcisionem seu denominationem attribuitur inferioribus, sed solum quod ratio illa sic concepta ad inferiores comparata in omnibus illis inclusa inueniatur. Quocirca si non fiat illa reduplicatio de ratione entis vt præcisa, sed simpliciter sit sermo de ratione entis præcise concepta, verum est, rationem illam esse in inferioribus, & in eis omnino, & intinē includi, & nihilominus ratione præcisci, quamuis in re non sit præcisa.

XXXIV. Sed statim vrget difficultas, quia iuxta hæc nihil videtur deesse conceptui entis ad rationem proprii vniuersalis, nam erit vnum in multis, & de multis. Sed hæc difficultas pendet ex duabus rationibus dubitandi in principio sectionis positis. Vna est de vniuocatione entis, quia si ens non est vniuocum, illa ratio sufficit, vt non sit propriè vniuersale: quomodo autem ex dictis non sequatur esse vniuocum, & quid illi ad vniuocationem desit, infra in proprio loco est tractandum, agendo de diuisionibus entis: nunc solum assero, lōgē clariora & certiora videri, quā quod ens sit analogum, & ideo non rectè propter defendendam analogiam negari vnitatem conceptus, sed si alterum negandum esset, potius analogia, quæ incerta est, quam vnitatis conceptus, quæ certis rationibus videtur demonstrari, elier neganda. Re tamen vera neutram negari necesse est, quia ad vniuocationem non sufficit, quod conceptus in se sit aliquo modo vnus, sed necesse est, vt æquali habitudine, & ordine respiciat multa, quod non habet conceptus entis, vt latius citato loco exponemus. Alia difficultas erat de modo, quo ens descendit, vel trahitur ad inferiora secundum rationem, de qua re paulo inferius propriam faciemus sectionem, quia & obscuram habet difficultatem, & ex aliis prius dicendis pendet.

SECTIO III.

Utrum ratio seu conceptus entis in re ipsa & ante intellectum sit aliquo modo præcisus ab inferioribus.

I.
Explicatio
questionis.



Æc questio videri potest communis omnibus gradibus, seu cōceptibus superioribus respectu inferiorū, de quibus agendum est disput. 5. sect. 1. & disput. 6. sect. 2. Sed hic habet difficultatem specialem propter transcendentiam entis, & ideo breuiter expedienda hic est: supponendo, præter distinctionem realem perfectam, quæ intercedit inter entitates mutuo separabiles, posse in rebus ante intellectum aliam minorē inueniri, qualis esse solet inter rem, & modum rei, vt infra latius dicturi sumus. Hic ergo, vt certum supponimus rationem entis, non distingui realiter priori modo ab inferioribus, in quibus existit, quod per se notum est in omni communi prædicato, & a fortiori patebit ex dicendis. Inquirimus autem, an esse tale vel tale ens, addat aliquem modum ex natura rei, & ante intellectum, distinctum ab ipso ente, ita vt ens, vel tale ens, verbi gratia, substantia, ex natura rei in ratione sua formali distinguantur, quatenus substantia addit aliquem modum, quem non dicit ens.

Disput. 7.

Argumenta partis affirmantis.

Videtur ex dictis sequi ita esse affirmandum. Primo, quia ratio entis eadem est in re, quæ mente concipitur, sed in mente concepta non includit modum substantiæ, vel accidentis: ergo neque in re ipsa, sed rationes substantiæ vel accidentis includit suos modos: ergo ratio entis in re est distincta ab illis. Maior (cetera enim omnia nota sunt) probatur, quia non dicimus rationem entis eodem modo esse in re, quo concipitur, quantum ad modum, scilicet, quem habet ex præcisione concipientis, sed dicimus rationem illam conceptam esse eandem, quæ est in re, & hoc videtur per se notum, quia intellectus in hoc conceptu non fingit rem, vel rationem conceptam: ergo eandem concipit, quæ est in re.

Secundo, quæ in re sunt separabilia, in re sunt aliquo modo distincta, quia includunt hæc duo negationes eiusdem rationis seu æquivalentes, maxime in rebus finitis: sed ratio entis est in re separabilis à ratione substantiæ, nam saluatur in accidente, & è contrario est separabilis à ratione accidentis, quia saluatur in sola substantia: ergo est aliquo modo in re distincta ab illis. Dices, rationem entis, quæ est in substantia, non esse separabilem ab illa, neque quæ in accidente, ab illo, & ideo non esse necessariam distinctionem ex natura rei inter illa. Sed contra, nam ad distinctionem ex natura rei sufficit prædictus separationis modus, scilicet, quod alicubi possit vna ratio reperiri sine alia: quia, si in re sint omnino idem, non videtur intelligibile, præsertim in rebus finitis, quod non se semper comitentur, quia, quæ in re omnino idem sunt, vbique sunt idem: sed in accidente, verbi gratia, ratio entis, & ratio substantiæ non sunt idem: ergo neque secundum se, & absolute idem sunt.

Quod in hunc modum tertio declaratur, quia substantia à parte rei non ex eo est substantia, ex quo est ens (& idem est de accidente) ergo est aliqua distinctio ex natura rei inter conceptum obiectum entis, & substantiæ, etiam prout in re sunt in ipsamet substantia. Antecedens patet, quia substantia ex eodem est ens, ex quo accidens, nam in ratione entis vnum sunt: ergo substantia non est substantia ex eo, quod ens, alioqui quidquid ea ratione constitueretur in ratione entis, constitueretur etiam in ratione substantiæ. Prima verò consequentia probatur, quia distinctio ex natura rei optime colligitur ex effectibus formalibus seu constitutis distinctis: cum ergo aliud quid constituatur per rationem substantiæ, quam per rationem entis vt sic, necesse est, vt in re habeant aliquam distinctionem.

Quarto censi solet difficile argumentum, quia impossibile videtur, vt eadem res secundum idem conueniat cum alia, & ab ea differat, sed substantia à parte rei: & ante omnem intellectum conuenit, seu est similis accidenti in ratione entis, differt autem seu est dissimilis in ratione substantiæ: ergo hæc duo distinguuntur ex natura rei aliquo modo in ipsamet substantia, alioqui secundum idem omnino esset similis, & dissimilis accidenti. Quod esse impossibile probatur, quia hæc duo includunt contradictionem, nam conuenientia & similitudo dicit aliquam rationem vnitatis, similitudo enim fundatur in vnitatem, vt Aristoteles dixit 5. Metaphysicæ: dissimilitudo autem dicit potius rationem multitudinis. Et confirmatur, & explicatur contradictio: quia, si in substantia ratio substantiæ, & entis est omnino eadem: ergo quicquid est de essentia substantiæ, est de essentia entis, & è contrario: alioqui differrent essentialiter, nam quocunque addito, vel ablato mutatur essentia: si autem differunt essentialiter: ergo in re ipsa habent distinctionem aliquam, nam essentialis ratio in re ipsa consistit. Si autem, quicquid est de essentia substantiæ, est de essentia entis, sequitur &

ratio-

II.

Primum.

III.

Secundum.

IV.

Tertium.

V.

Quartum.

rationem substantiæ reperiri in accidente, cum quo conuenit in ratione entis, & non reperiri, quia reuera accidens non est substantia, sed dissimile illi. Sequitur etiam, substantiam esse similem accidenti in ratione entis, quia hoc supponitur, & non esse similem, quia ratio entis in accidenti. Et consequenter etiam sequitur rationem entis affirmari de accidente propter conuenientiam cum substantia, & negari posse propter disconuenientiam, quam in eadem ratione habere dicitur. Denique conuenientia & disconuenientia dicunt relationes essentialiter diuersas: ergo requirunt in re fundamenta, & rationes fundandi seu terminandi essentialiter diuersas.

VI. Propter hæc & similia argumenta opinantur aliqui ens dicere conceptum obiectuum ex natura rei distinctum ac præcisum ab omnibus inferioribus, & à conceptibus quantumuis simplicibus sub eo contentis, ut sunt: substantia, accidens, & similia, & hæc censetur communiter opinio Scoti in 1. d. 3. q. 1. & 3. & d. 8. q. 2. & in 2. d. 3. q. 1. & eam sequuntur Scotistæ, qui à fortiori idem sentiunt de omnibus prædicatis vniuersalibus, de quibus latius inferius.

Vera sententia.

VII. Nihilominus dicendum est, conceptum entis obiectuum prout in re ipsa existit, non esse aliquid ex natura rei distinctum ac præcisum ab inferioribus, in quibus existit. Hæc est opinio communis totius Scholæ D. Tho. quam in primis necessario docet omnes, qui negant conceptum obiectuum entis esse ratione præcisum, ut Soncin. Caiet. Ferrar. & specialiter id declarat Caiet. in dicto opusculo de ente & essentiali, c. 9. quæst. 2. & idem tenet Fonseca loco citato, quamuis de distinctione inter prædicata essentialia superiora, & inferiora aliter sentire videatur, 2. Metaph. c. 2. text. 11. & alibi, de quo infra suo loco. Idem etiam à fortiori tenent omnes, qui negant genus ex natura rei distingui ab speciebus, vel speciem ab indiuiduis, ut Greg. in 1. d. 8. q. 2. & 3. Capreol. q. 4. art. 3. ad argum. contra 2. conc. Sonc. 7. Metaph. q. 36. Scot. in Log. q. 3. art. 2. Eandem opinionem specialiter tenet Capreol. in 1. d. 2. q. 1. ad argum. Scoti cont. ult. concl. Et est aperta sententia D. Tho. 1. cont. Gent. c. 26. rat. 4. imo & Scotus 10. Metaph. text. 3. hanc videtur tenere sententiam, constituit enim differentiam inter ens & vnum: nam ens (inquit) prædicat eadem naturam realiter & formaliter de generibus, de quibus quoddamatiue prædicatur: vnum vero, licet prædicet eandem naturam realiter, non tamen formaliter: quia vnum dicit passionem, non essentiam. Quamuis fortasse in alio sensu ibi Scotus locutus est: sc. ens dicere essentiam omnium generum, non tamen totam: vnum vero omnino esse extra essentiam. Sumiturque hæc sententia ex Arist. 8. Metaph. c. ult. text. 16. ubi dicit, ipsum ens seipso absque aliquo addito determinari ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & ideo non poni in definitionibus, quia non dicit determinatam naturam contrahibilem per aliquam differentiam. Et ita exposuerunt Commentator, D. Th. & Alex. Alef. ibi. Scot. vero exponit, quod Arist. excludat differentias realiter distinctas, non vero formaliter. Sed hoc, & est aperte contra mentem Arist. & ab ipso etiam Scoto non dicitur consequenter, quia etiam inferiora genera non distinguuntur realiter à suis differentiis, sed ad summum formaliter, iuxta eiusdem Scoti doctrinam: ergo hanc etiam distinctionem, & compositionem excludit Arist. in determinatione entis ad sua inferiora.

VIII. Ratione probatur primò. Si ens, & substantia ex natura rei distinguantur, vel se habent, ut totum & pars, seu includens & inclusum, vel ut omnino distincta. Hoc posterius nemo dicit, neque apprehendi potest, alias substantia præcise & formaliter

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

sumpta, ut condistincta ab ente, non includeret ens, quod est impossibile, cum de conceptu essentiali substantiæ sit esse ens simpliciter. Quod vero nec primò dici possit, probatur, nam, si ens & substantia illo modo distinguuntur, resolui potest substantia in duos conceptus ex natura rei distinctos: ergo in qualibet singulari substantia datur illa distinctio ex natura rei, quæ antecedit intellectui, & debet esse in rebus ipsis singularibus, illi ergo duo conceptus, non tantum prout à nobis apprehenduntur, sed etiam in re ipsa distinguuntur. Hoc autem esse impossibile ex parte vtriusque conceptus ostendi potest, primo ex parte conceptus ipsius entis, nam si in re ipsa præscindit, & distinguitur à modo contrahente ipsum ad esse substantiæ, quæro, quale ens est illud, quod manere intelligitur præciso illo modo? Aut enim est ens commune, & ab omni singularitate abstractum, aut determinatum ad singulare ens. Primum est euidenter falsum, tum quia alias in re ipsa esset res vniuersalis, & vniuersaliter, quod repugnat, quia illud ens est à parte rei existens, & productum: ergo est intrinsece determinatum ac singulare, tum etiam, quia est incommunicabile alteri, præterquam huic substantiæ, si in indiuiduo loquamur. Secundum ergo necessario dicendum est, & tunc interrogo, an in ente sic præciso à modo substantiæ sit aliqua distinctio ex natura rei inter communem rationem entis, & tale ens, vel non: nam si est distinctio, redit idem argumentum, oportebit enim resolvere illum conceptum in duos, & sic procedere in infinitum, si vero non est distinctio: ergo, ut communis ratio entis determinetur ad tale ens, non oportet inter ea distinctionem ex natura rei fingere: ergo neque ut determinetur ens ad substantiam: est enim eadem ratio, & omnia argumenta in principio facta applicari possunt ad illum conceptum entis, qui dicitur esse præcisus à substantia, prout in ea realiter existit, & in illo necessario soluenda sunt, & à nullum manebit fundamentum ad talem distinctionem fingendam. Præterquam quod vix potest mente concipi entitas realis & singularis, & tamen quod in sua intrinseca, & essentiali ratione formalissime non includat rationem substantiæ: aut accidentis.

Deinde idem ostendi potest ex parte alterius conceptus, seu modi contrahendi entis: nam inquiri, an in illo intrinsece includatur ens, nec ne, si non includitur, nihil est, nihil ergo addit substantia supra ens, neque illud potest efficere distinctionem inter ens, & substantiam: imò nec potest determinare seu contrahere ens, aut constituere substantiam, quemodo enim id quod est nihil, hæc omnia præstabit? Si autem includitur, ergo & modus ille includit totum conceptum substantiæ, & de illo redit quæstio, an distinguatur ex natura rei ab ente, vel non: nam si non distinguitur, idem dici poterit de substantia: si vero distinguitur, oportebit illum resolvere in alios duos conceptus ex natura rei distinctos, & sic in infinitum procedere. Posset huic argumento responderi, negando bimembrem partitionem in principio positam, scilicet ens distingui à substantia tanquam partem à parte, vel tanquam partem à toto: sed ut simplicem conceptum communem à simplici conceptu particulari, ita ut communis in particulari includatur, quamuis non è contrario. Sed, quamuis hæc responsio verum fortasse sumat, ut inferius latius exponemus, tamen ab ea manifeste sequitur, non posse esse distinctionem ex natura rei inter conceptum entis, prout existentem realiter in suis inferioribus, & illa. Nam si conceptus inferior, v. g. substantiæ, est simplex, ita ut non possit resolui in duos conceptus inter se ex natura rei distinctos, quomodo potest intelligi, quod in eo sit distinctio ex natura rei inter ipsum, & aliquid in illo inclusum? igitur hoc ipsum factus declarat, hunc distinctionis modum non esse in rebus ipsis actualiter, sed solum ut in fundamento,

IX.

X.
2. Ratio.

damento, per rationis autem præcisionem consummari.

Secundò, conceptus entis non solum à creaturis, sed etiam à Deo præscinditur: sed in Deo non distinguitur ex natura rei conceptus entis ut sic, à conceptu talis entis, scilicet increati, vel infiniti: ergo neque in cæteris entibus. Maior constat ex dictis, & minor etiam est certa, tum ex summa Dei simplicitate, nam si in eo esset aliqua distinctio ex natura rei, non esset summè simplex, tum etiam, quia alias daretur in rebus aliqua ratio realis ex natura rei distincta ab omnibus alijs, ex se & natura sua prior Deo, ut Deus est, scilicet illa ratio entis, quæ in Deo esset distincta à ratione Dei: hoc autem est impossibile, quia Deus ut Deus essentialiter est primum ens, & duratione, & perfectione, & natura. Denique, quia illam ratio entis, quæ in Deo est, essentialiter habet diuinas proprietates, ut esse independentem, & increatam: unde etiam secundum illam rationem entis prout est in re, infinite distat Deus à creaturis. Quibus argumentis Soncinus li. 4. Metaph. q. 2. contendit probare, ens non dicere conceptum obiectuum præcisum, sed probant de præcisione secundum rem, non tamen de præcisione secundum rationem. Prima verò consequentia argumenti probatur, quia licet conceptus inferiores entium in creaturis non sint æquè simplices conceptui rei, & ideo videri possit dispar eorum ratio, tamè in præsentia est eadem, tum quia, si rationes in principio factæ ostenderent distinctionem ex natura rei inter ens & inferiora, eandem omnino ostenderent in Deo, nam eodem modo applicari possunt, ut in solutionibus patebit, tum etiam, quia respectu entis ut sic, etiam inferiores conceptus creaturarum sunt simplices, & in eis non potest intelligi aliqua realitas prior natura, quam sit propria vniuersi, & entitas secundum determinatam rationem eius. Quomodo enim concipi potest, ut in substantia sit realiter seu ex natura rei prior aliqua entitas sub ratione entis, quam sub ratione substantiæ?

XI.
3. Ratio.

Vltimò argumentor, quia sola distinctio conceptuum nostrorum, quibus aliquid concipimus per modum communis & particularis, non indicat sufficienter distinctionem ex natura rei in re concepta: ergo neque illa indicat in conceptu entis respectu inferiorum: ergo nulla est talis distinctio. Hæc secunda cõsequentia patet, quia nullum aliud excogitari potest indicium aut vestigium talis distinctionis, quæ non solum sine sufficiente, verum etiam sine cogente ratione asserenda nõ est: quia & in vniuersum loquendo distinctiones non sunt multiplicandæ sine causa, & præsertim ac specialiter hæc, quæ vix mente concipi potest. Prima verò cõsequentiã patet, quia non est maior ratio de conceptu communi & particulari in ente, quam in reliquis, imò in ente propter transcendentiam suam est minor distinctionis ratio. Primum verò antecedens patet imprimis in rebus diuinis tantum, nam conceptus personæ diuinæ communis est tribus diuinis personis, quæ in ea communi ratione cõueniunt, & in proprijs distinguuntur, & tamè in vnaquaq; earum ratio personæ, & ratio talis personæ nõ distinguuntur ex natura rei, sed ratione tantum. Deinde patet etiam in rationibus communibus Deo, & creaturis, ut ferè iam explicatũ est in ratione entis prout in Deo existit. Et declarari etiã potest in ratione sapientiæ, v. g. in qua conueniunt aliquo modo sapientiã creata, & increata, & tamen neque in increata sapientiã distinguuntur ex natura rei communis ratio sapientiæ, & propria talis sapientiæ, propter summam simplicitatem, & perfectionem eius: neque etiam in sapientiã creata possunt illæ duæ rationes ex natura rei distingui, quia, quantumuis præscindas rationem sapientiæ, si illam consideres in re existentem in sapientiã creata, intelliges illam intrinsicè creatam, & consequenter in re ipsa indistinctam, & minimè præcisam ex natura rei ab illo

modo, quo determinatur ad esse sapientiæ creatæ, alioqui oporteret intelligere in sapientiã creata ratione aliquã realem sapientiæ, quæ non solum secundum rationem, sed etiam secundum rem abstraheret à ratione creatæ, & increatæ, quod & absurdissimũ est, & mente concipi non potest, quia quidquid est entitatis in sapientiã creata, est factum, & pendens. Tandem idem ostendi potest rationibus communibus solis rebus creatis, quod latè præstabitur infra, de vniuersalibus disputantes: nunc breuiter declaratur, quia possunt ex subtilitate & modo concipiendi humani intellectus hi conceptus superiores & inferiores infinitis modis variari & multiplicari: signũ ergo est, id non semper fundari in distinctione, quæ sit in rebus, sed in modo concipiendi nostro, supposito aliquo fundamento similitudinis, cõuenientiæ, aut eminentiæ ipsarum rerum: alioqui oporteret fingere in vnaquaque re infinitos modos ex natura rei distinctos, quibus in se plenè constituatur, & ab alijs plenè distinguatur. Quod vno vel alio exemplo declaratur, nam sensus communis, v. g. habet vim percipiendi obiecta omnium sensuum exteriorum: potest ergo abstrahi communis conceptus visui, & interiori sensui, scilicet sensus perceptui coloris, & alius communis auditui & sensui communi, scilicet sensus perceptui soni, & sic de reliquis. Quis autem dicat in sensu communi ex natura rei distingui vim percipiendi colorem, vel sonũ inter se, aut vim sentiendi in communi distingui in eo sensu à propria vi & modo, quo attingit sua obiecta, & nõ potius esse ibi vnam simplicem virtutem, quæ attingit omnia illa obiecta, quam intellectus inadæquatè concipiens comparat cum alijs rebus, & sic abstrahit conceptus communes non re, sed ratione distinctos. Idem est in luce solis, quatenus & virtutem habet illuminandi, in qua conuenit cum splendore ignis, & calefaciendi, in qua conuenit cum calore, & esiccandi, in qua conuenit cum siccitate, & ab his omnibus potest intellectus varios conceptus abstrahere, quos omnes in luce ex natura rei existimare distinctos, frivolum est, & sine fundamento.

Argumentorum solutiones.

Ad argumenta ergo in principio posita respondetur, primum in genere, in illis omnibus esse magnam æquiuocationem argumentando à ratione obiectiua, ut præcisam ab intellectu, ad illam prout est in re, & attribuendo rebus ipsis, quod solum per denominationem extrinsecam cõuenit rationibus conceptis ac præcis, ut sunt sub tali consideratione ac præcisione intellectus. Et hoc est maximè considerandum in his omnibus argumentationibus, quæ solum in modo loquendi, & concipiendi fundantur. Nos enim, sicut concipimus, ita loquimur: unde sicut conceptus nostri, etiam si veri, & non falsi sint, nõ tamen semper sunt adæquati rebus ipsis, ita etiam voces sunt cõmensuratae conceptibus nostris, & ideo cauendum est, ne modum concipiendi nostrum transferamus ad res ipsas, & propter diuersum loquendi modum existimemus, esse distinctionem in rebus, vbi verè non est.

Ad primum ergo respondetur, negando primam consequentiam, nam ratio entis dicitur esse eadem in re, quæ est in mente, quia reuera omnia entia habent in re eam similitudinem & cõuenientiam, sub qua intellectus illa cõcipit, cum concipit ens, & quia hic modus concipiendi ens est inadæquatus respectu entium, prout sunt in re, ideo dicitur ratio entis sic concepta, non includere determinatos modos entium, in qua locutione iam non est sermo de ratione entis absolute, & ut in se est, sed ut est sub denominatione intellectus: unde perinde est, ac si diceretur, per illũ conceptum non considerari ens sub expressis rationibus inferiorum entium, sed solum communi,

XII.

XIII.

Ad primum
respondetur.

muni, & inadæquato conceptu, & ideo non recte infertur, quod etiam in re ipsa ratio entis prout est in singulis entibus non includat proprias rationes seu modos eorum: posset etiam distingui maior propositio assumpta, scilicet, rationem entis eandem esse in re, quæ mente concipitur: est enim eadem realiter, non tamen ratione, & hoc satis est, ut in re possit includere proprias rationes inferiorum entium, quamuis ut concepta præcise illas non includat: sicut sapientia Diuina eadem est in re, quæ mente concipitur, quamuis ut mente concepta, non intelligatur includere iustitiam, quam in re ipsa essentialiter includit, quia, quod ut concepta non includat, solū est quod non expresse & distincte consideratur, ut includens illam, conceptu illo præcisiuo, non negatiuo.

XIV.
Ad iohann.
Aum.

Ad secundum recte ibi responsum est, rationem entis in substantia non esse separabilem a substantia, & similiter in accidente, & hinc potius colligi indentitatem, & indistinctionem ex natura rei, quia quæ ita se habent in re, ut nec realiter distinguantur, nec vnum ab alio separari possit, neque e conuerso, non est cur in re ipsa distinguantur, nisi aliunde sit aliquid sufficiens principium distinctionis, quod in præsentem nullum inuenitur. Vnde ad replicam responderetur, rationem entis, quæ in substantia reperitur, non reperiri eandem secundum rem in accidente, neque e conuerso, sed solum eandem secundum rationem, id est, secundum quandam conuenientiam, & similitudinem, quam potest ratio per modum vnius præcise concipere, & ad hoc satis est, quod huiusmodi ratio, quæ hoc modo ut communis concipitur, secundum rationem distincta sit à proprijs rationibus substantiæ, & accidentis. Quod enim est proprium rei infinitæ, solum est, ut eadem numero res sit communicabilis multis rebus realiter distinctis, per indentitatem perfectam cum omnibus, & singulis earum, quamuis earum qualibet incommunicabilis sit. Quod vero eadem res, quæ in se est realiter simplex, id est, non composita ex gradibus ex natura rei distinctis, sit realiter incommunicabilis alteri, cum qua habet aliquam similitudinem, & conuenientiam, ratione cuius concipitur in eis aliqua ratio communis utrique, hoc non excedit perfectionem rei finitæ, imo in qualibet re quantumuis imperfecta aliquid huiusmodi reperiri potest.

XV.
Ad iohann.
Aum.

Ad tertium responderetur primo, substantiam in re ipsa ex eodem esse ens, ex quo est substantia, & e conuerso, nimirum per suam intrinsecam naturam, & entitatem, quam in re habet, & idem est, seruata proportione in accidente. Quocirca in eodem sensu non ex eodem substantia est ens, ex quo accidens, neque e conuerso, nam accidens est ens per entitatem accidentalem, & in ordine ad substantiam, substantia vero est ens per entitatem substantialem, & in se absolutam ab ordine seu habitudine ad subiectum, neque hoc modo (in eodem sensu loquendo) accidens & substantia sunt vnum in ratione entis prout in re ipsa constituuntur. Secundo dicitur, si non loquamur secundum rem, sed secundum rationem præscindentem, sic substantiam non ex eodem esse substantiam, ex quo est ens, ex eodem (inquam) secundum rationem: ex hoc vero sensu solum potest concludi, rationem entis, & substantiæ distingui ratione in ipsa substantia, & ratione similiter entis & accidentis in accidente. Atque eodem modo substantia & accidens solum dici possunt ex eodem constitui in ratione entis eo modo, quo in illo conceptu vnum sunt, scilicet secundum rationem. Vnde solum potest concludi, rationem illam communem utrique per intellectus præcisionem distingui à proprijs earum.

XVI.

Ad quartum. Quibusdam videtur impossibile, ut idem secundum rem absque vlla distinctione ex na-

tura rei, quam in se habeat, possit esse principium seu fundamentum conuenientie, & distinctionis ab alio propter argumentum factum. Alij vero putant hoc quid repugnare in conuenientia vniuoca, non verò in analogia, quod nobis satis esset. Ego vero existimo, etiam in conuenientia vniuoca id non repugnare, ut patet exemplis, tum in diuinis, tum in creatis. Nam Pater & Filius vniuoce conueniunt in ratione personæ: quis enim negabit ibi aliquam vnitatem, & conuenientiam, aut affirmabit illam esse analogam, cum in ratione personæ tam perfecta sit vna sicut analogia? & tamen in singulis personis nulla fingi potest ex natura rei distinctio inter distinctionis & conuenientie fundamentum. Eadem enim paternitas in se simplicissima in sua entitate relatiua distinguitur realiter à filiatione, & conuenit cum illa in comuni ratione relationis seu personalitatis: estque similis quasi genericæ, & dissimilis quasi specificæ, quamuis in ea hi gradus seu conceptus ex natura rei non distinguantur. In creaturis, quantitas, & qualitas (ut est probabile) vniuoce conueniunt in ratione accidentis: & tamen in vnaquaque earum ratio accidentis non distinguitur ex natura rei à propria, ut infra latius dicitur: & idem existimo esse de omnibus speciebus respectu suorum indiuiduorum, ut suo loco dicitur. Ratio vero est, quia, si distinctio & conuenientia sint diuersorum ordinum, non repugnat in eodem fundari, sic enim vna non inuoluit negationem alterius, imò quodammodo illam requirit. Ita vero est in præsentem: nam distinctio est realis, conuenientia autem secundum rationem tantum, & ideo non repugnat, ut duo simplicia quæ secundum rem sunt realiter primo diuersa, secundum rationem habeant vnitatem fundatam in reali similitudine, vel conuenientia, quam inter se habent. Ea enim quæ in re diuersa sunt, in eo ipso in quo distinguuntur, possunt esse similia: quin potius similitudo intrinsece postulat distinctionem secundum rem cum aliqua vnitatem rationis, seu formali, aut fundamentali, nam idem proprie non est sibi ipsi simile. Quod si hæc conuenientia vel similitudo sit imperfecta, qualis est in analogia entis, & similibus, facilius intelligitur quomodo possint res inter se, quantumvis primo diuersæ, habere nihilominus aliquam imperfectam conuenientiam: non enim dicuntur primo diuersæ, quia nullo modo inter se similes sint: hoc enim in nullis rebus, vel rationibus realibus reperiri necesse est, sed quia se ipsis primo distinguuntur: cum qua distinctione stat prædicta imperfecta conuenientia. Cuius rei exemplum est in Deo, in quo nulla distinctio graduum ex natura rei ex cogitari potest: vnde illa simplicissima natura per se ipsam est prorsus distincta à natura creata, & tamen simul est principium alicuius conuenientie analogæ, & secundum quid cum eadem: hæc ergo duo non repugnant.

Quomodo
possit eadem
entitas per
eandem
simplicissimam
rationem
conuenire & distinguere.

Ad ultimam confirmationem, responso patet ex dictis. Iam enim dictum est rationem substantiæ & entis in substantia esse quidem eandem omnino secundum rem, differre tamen ratione, & priori consideratione habere in substantia eandem rationem essentialem, ratione tamen diuersam, & idem est de ratione entis, & accidentis prout in accidente reperitur, e contrario vero accidens & substantia inter se comparata, dicuntur habere in ratione entis essentialem rationem eandem secundum rationem tantum, non secundum rem, & ideo in omnibus illustrationibus in ea confirmatione factis committitur æquiuocatio, non distinguendo diuersas rationes & modos conuenientie, & distinctionis.

XVII.